

**XXII.** Reliqua ludorum genera partim *fortuna* sunt, & ab antipiti eius eventu penitus dependent, partim *ingenii* solumque *artis*; partim denique *ingenio*, *exercitatione* & *fortunâ* constat, ac ita mixti sunt. Sic ex fine quoque ludorum peti distinctio potest. Vel enim *ingenua recreationis* ergo iis impenditur opera, vel *proper lucrum ac turpem quæstum*. *Ludi fortuna*, si sordidi quæstus caussâ suscipiantur, illiciti utique sunt, ac adversantur (1.) *juri avino*, ac in specie septimo decimoque Decalogi præcepto; ut adeò *Philosophus* q. *Etb.* 1. Iusores rectè furibus atque latronibus assimilet, eō quod turpi versentur in lucro, quæstusque gratiâ probra omnia sustineant. (2.) *juri naturali*, quod cum alterius detrimento ac injuriâ locupletari vetat; nec fieri mala patitur, ut inde bona eveniant. (3.) *juri civili*. Vide, si placet, *D. de Aleat.* l. solent enim 2. §. 1. & l. 3. C. de aleat. Et alear. *Iusu*.

**XXIII.** *Ludi ingeniosi*, & quibus fortuna nonnihil admixtum est, si cætera se rectè habeant, quin sint concessi ac liciti, nulli dubitamus. Qui enim honestior optari recreatio possit, quam quæ ingenium acuit nostrum, animum moderatâ voluptate perficit, corpusque decenti exercitatione vegetum, rebusque seriis aptum reddit? Et hunc in usum quondam *ludi equestris*, alias *Torneamenta* dicta, fuere concessi, non ut per provocationem certò non corporum tantum, sed animarum etiam pugnaretur exitio, sed ut post bellicos labores instar recreationis essent ac voluptatis cuiusdam, quam evitabatur desidia, nobiles exercebantur in armis, tyrannisque atque superbia, peculiaria nobilium mala, extirabantur. Quibus ex causis intermissa hactenus non male forsitan in usum revocarentur.

**XXIV.** Cæterum cum ea, quæ sunt nimia, facile gratiā amittant suam ac in vitium abeant, cavendum est sedulè, ne frequenter nimis jocis ludisque utamur; alias enim molesti ac odiosi esse incipiunt, scurrilitatisque nomine sunt infames. Sales antiqui jocos nominavere, quod iis in conversatione ludicrâ uti debeamus, tanquam sale in cibis condiendis; sicuti & salem feceré duplicem, candidum videlicet *Mercurii*, ac